

ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

Schema “De educatione christiana”

Testo di Mons. Giocondo M. Grotti

ACTA SYNODALIA
SACROSANCTI CONCILII
OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN III
PERIODUS TERTIA

PARS VIII
CONGREGATIONES GENERALES CXXIII-CXXVII
SESSIO PUBLICA V



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMXXVI

14

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

1. Textum vere in melius mutavit commissio, et laudanda est pro labore. Sequentia tamen adnotare vellem ad textum ditiorem reddere.

2. Proprie loquendo, non invenitur in schemate declarationis, quid sit educatio christiana et in quo consistit. Insuper, meo humili iudicio, declaratio nimis videtur separare educationem humanam a religiosa educatione (« anima humana naturaliter christiana »! Tertullianus), nam apparent haec verba: *a*) educatio humana et religiosa (n. 1); *b*) perfectio humana et christiana (n. 7); *c*) scientia profana et sacra (n. 10).

3. Principium positum sub fine n. 2, est optimum, tamen, meo iudicio, extra chorum, nam in inscriptione numeri legitur: « De Ecclesiae collaboratione ».

Emendari posset, forsitan istis vel similibus verbis, « Ecclesia insuper principium affirmat: omnibus (sine enim) hominibus etc. ... ».

4. In n. 7 affirmatur necessitas scholarum sine ulla restrictione, quod bonum, mihi, non videtur. Nam: *a*) si societas vere christiana esset; *b*) si magistri vere christiani essent, forsitan declaratio non ita dixisset! Ideo necessaria est schola ubi christiani, qua tales, sunt fragiles et ubi civile gubernium non omnes attingit, ut accidit in missionibus.

5. Quattuor vicibus dicitur « Ecclesia cooperari » cum ceteris in educatione (in nn. 2, 4, 5, 11) et numquam de ipsa Ecclesia dicitur esse Magistra.

Ecclesia differt in hoc a Gubernio civili: ipsa est mater, ergo magistra; illud minime vocari potest magister quia pater non est, valet tantummodo parentes adiuvare sed nequit eos substituere!

Hic conceptus, forsan, esset nostro in schemate, meliori in luce ponendum!

6. Forsan vox « gravissimum » (unica nota negativa in integro numero primo!) primae lineae prooemii esset auferenda vel per aliam substituenda, v. g., « maximum, magnum » vel alia simili!

7. Commissio post-conciliaris serio perpendet *a)* educationem in scholis primariis (est fundamentum ex quo omnia et sine quo fere nihil!); *b)* educationem in scholis « magistralibus » in quibus efformantur magistri primarii; *c)* methodum educationis in scholis catholicis, quia e scholis: religiosorum, permulti evadunt indifferentes; religiosarum, permultae evadunt meretrices; *d)* taxas et omnia pecuniae adnexa in scholis catholicis; *e)* possibilitatem parandi in unaquaque natione religionis magistros et qua tales eos sustinendi; *f)* possibilitatem conferendi sacrum Chrisma in aetate adulta (18 annorum natis), imponendo subiectis quoddam tirocinium, militaris servitii ad instar.